

pendet ex usu et acceptione vocis quam aliunde. Advertendum ergo est hanc vocem, proprie et in rigore sumptam, significare posse rem ex nihilo productam; creatio enim significat productionem ex nihilo, et creatura proprie significat terminum creationis. Alio modo sumitur hæc vox ad significandam quamcunque rem in tempore productam per aliquam actionem vel effectiorem; omne enim, quod increatum non est, creatura dici potest, ut supra tractatum etiam est, disputat. 7, sect. 5.

6. *Responsio.* — Dico ergo primo, Christum non posse dici creaturam, si hæc vox in priori et rigoroso sensu sumatur. Hæc conclusio certa est, quia Christus non est ex nihilo productus; includit enim suppositum divinum, quod non est ex nihilo productum. Dices: hoc sensu etiam Petrus non poterit dici creatura, quia non est productus ex nihilo; nulla ergo est in hoc differentia inter Christum et alios homines. Respondetur esse maximam. Primo quidem, quia Petrus, licet immediate non sit productus ex nihilo, sed per generationem, tamen mediate est productus ex nihilo, quia tota materia, ex qua productus est, facta est ex nihilo; at vero Christus includit rem aliquam, scilicet, personam, quæ non est facta ex nihilo, et ideo totus Christus nec proxime, nec remote factus est ex nihilo. Unde fit secundo, ut Petrus, vel alius similis homo, licet actu non sit productus ex nihilo, tamen producibilis sit, et hoc est quod per se pertinet ad rationem creaturæ, quæ magis consistit in intrinseca aptitudine, quam in actuali denominatione extrinseca; at vero Christus neque est productus, neque produci potuit ex nihilo. Componitur enim Christus ex natura humana et persona divina; hoc autem compositum non est producibile per creationem, sed solam assumptionem humanitatis, quia necessario supponit personam quæ ex nihilo produci non potest, quod a contrario manifeste patet; nam Petrus, qui est creatura dicto modo, annihilari potest a Deo; Christus autem annihilari non potest; cum enim necessario semper mansura sit persona, non potest totus Christus in nihilum redigi.

7. Dico secundo: si creatura sumatur posteriori modo, ut idem significet quod factura, seu quid factum, illa locutio potest habere sensum proprium et verum; tamen, quia est ambigua, et suspicionem erroris ingerere potest, usurpanda non est sine sufficienti ex-

positione seu determinatione. Hæc conclusio videtur esse juxta mentem D. Thomæ hic, et tota sumitur ex Patribus citatis; ita enim approbant illam locutionem, ut salis semper explicant sermonem esse de Christo, ut ex humanitate componitur. Ratio vero est, quia Christus significat compositum ex divinitate et humanitate; sed hoc compositum est quid creatum in dicto sensu, ut supra, dicta sect. 5, disp. 7, late ostensum est; ergo Christus eadem ratione poterit dici quid creatum, atque adeo creatura.

8. *Obiectio.* — Dices: Christus positus ex parte subjecti, simpliciter et sine determinatione, non stat seu supponit pro toto composito ut sic, sed pro supposito tantum; subjecta enim stant materialiter, ut dicunt dialectici; at vero de supposito non potest vere dici esse quid creatum, seu esse creaturam.

9. *Responsio.* — Respondetur primo, supra dictum esse, subjecta interdum determinari a prædicatis, ut stent formaliter, ut constat in his locutionibus, album est quale, calidum est terminus calefactionis; sic ergo dici poterit Christus terminus effectiōnis cujusdam, et tunc stabit formaliter ratione prædicati; ergo eadem ratione dici poterit factura, atque adeo creatura, quia his vocibus idem terminus effectiōnis significatur. Quandocunque enim prædicatum accommodatur subjecto formaliter sumpto, et per se illi convenit, potest illud determinare, ut ita accipiatur; ita vero est in præsentia. Non est ergo cur negetur hunc sensum esse proprium et verum, supposita illa propria et usitata significatione terminorum. Nihilominus reliquæ partes conclusionis per se notæ sunt, vitanda est enim omnis suspicio erroris, et ideo cum hæreticis nec in vocibus convenire debemus, quando sensus est ambiguus, sed catholicus sensus sufficienter explicari debet.

10. Argumenta primæ opinionis probant hanc secundam conclusionem. Si vero contra primam fiant, respondetur omnia illa Sanctorum testimonia juxta secundam conclusionem intelligenda esse.

11. *Prædicata creaturarum duplicia, respectu Christi.* — Ad primam vero rationem respondetur primo, attributa creaturarum convenire Christo ratione naturæ creatæ, quando illa non includunt suppositum creatum, et simpliciter ex nihilo productum, et ideo ex illis solum inferri potest, Christum posse dici creaturam posteriori modo dicto, non vero priori. Secundo dicitur quædam

esse prædicata creaturarum, quæ per se statim indicant dici de Christo ratione humanæ naturæ, de quibus inter nos et hæreticos nulla est controversia, ut esse *mortalem, passibilem*, etc. Alia vero sunt prædicata, de quibus dubium esse potest, an tribuantur Christo ratione naturæ humanæ, vel etiam ratione suppositi, de quibus est controversia inter nos et hæreticos, ut esse *mutabilem, esse finitum, esse minorem Patre*. Et hæc, licet in proprietate et rigore dici possent de Christo ratione humanæ naturæ, simpliciter tamen asserenda non sunt sine sufficienti determinatione, propter rationes factas.

12. Ad secundam rationem respondetur, esse creaturam priori modo, non esse de essentia hominis, sed tantum posteriori modo, quia non est de essentia hominis ut sit persona creata, sed tantum, ut per naturam creatam constituatur. Ad tertiam respondetur, quod, licet humanitas sit facta ex nihilo mediate vel immediate, ut supra dictum est, et sub hac ratione sit in illa relatio creaturæ ad Deum, inde non fit ut totus Christus per se primo, seu ratione totius compositi, referatur ad Deum illa relatione, sed solum ut in se habeat naturam in qua est illa relatio; totum vero compositum ut sic non refertur ad Deum illa relatione fundata in creatione, sed alia fundata in actione unitiva, a qua Christus denominatur creatura secundo modo supra explicato.

13. *An Verbum possit dici creatura.* — Argumenta secundæ opinionis probant primam conclusionem. Si vero contra secundam fiant, nihil urgent; ad Patres enim ibi responsum est. Ad tres vero rationes primas, quæ una sunt, respondetur, *creaturam* in hac significatione non includere negationem totius esse simpliciter, sed solum illius esse sub quo denominatur creatura. Unde, ut Christus sit creatura, non oportet ut aliquando non fuerit, sed ut aliquando non fuerit Christus; neque ut inceperit esse simpliciter, sed ut inceperit esse Christus. Ad ultimam primo negatur sequela, scilicet, Verbum posse dici creaturam. Et ad probationem negatur consequentia, quia mutatur suppositio et appellatio terminorum; quia, cum Christus dicitur creatura, subjectum non stat materialiter pro supposito, sed formaliter pro toto composito. Cum vero Christus dicitur esse Verbum, aut Verbum creatura, subjectum sumitur pro solo supposito. Secundo respondetur, in catholico sensu posse dici Verbum creaturam, eo modo

quo dicitur homo; est enim homo, quia terminat humanitatem; dicitur ergo creatura, quia terminat naturam creatam. Sicut enim per humanitatem constituitur in esse hominis, ita per naturam creatam in esse creaturæ; sic enim dixit Leo Papa, creatorem fieri creaturam in hoc mysterio. Et Hieronymus dixit, *creare* in quodam sensu in Scriptura usitato non significare fieri simpliciter, quod non erat, sed quod erat, fieri tale. Quomodo dixit Augustinus, de Fide et Symbolo, c. 4: *Quando Verbum caro factum est, eadem sapientia, quæ a Deo genita est, dignata est in hominibus creari*. Sed quanquam hoc verum sit, istæ locutiones multo magis sunt vitandæ, quia est major æquivocatio, et majus periculum erroris; Verbum enim simpliciter est persona increata, et ideo absolute nullo modo dici debet creatura.

## ARTICULUS IX.

*Utrum hæc sit vera: Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse<sup>1</sup>.*

1. *Ad nonum sic proceditur. Videtur quod ille homo, demonstrato Christo, incepit esse. Dicit enim Augustinus super Joan.<sup>2</sup>: Priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus. Sed illud, quod non semper fuit, incepit esse. Ergo ille homo, demonstrato Christo, incepit esse.*

2. *Præterea, Christus incepit esse homo. Sed esse hominem, est esse simpliciter. Ergo ille homo incepit esse simpliciter.*

3. *Præterea, homo importat suppositum humanæ naturæ. Sed Christus non semper fuit suppositum humanæ naturæ. Ergo ille homo incepit esse.*

*Sed contra est quod dicitur Hebr. ultimo: Jesus Christus heri et hodie, ipse et in secula.*

*Respondeo dicendum, quod non est dicendum quod ille homo, demonstrato Christo, incepit esse, si nihil addatur, et hoc duplici ratione. Primo quidem, quia hæc locutio est simpliciter falsa secundum sententiam catholicæ fidei, qui ponimus in Christo unum suppositum et unam hypostasim, sicut et unam personam. Secundum hoc enim oportet quod, in hoc quod dicitur, Iste homo, demonstrato Christo, designetur suppositum æternam, cujus æternitati repu-*

<sup>1</sup> 3, d. 12, q. 1, art. unic.

<sup>2</sup> Tract. 105, med., t. 9.

gnat incipere esse. Unde hæc est falsa: *Hic homo incepit esse. Nec obstat quod incipere esse convenit humanæ naturæ, quæ significatur per hoc nomen, homo, quia terminus in subjecto positus non tenetur formaliter pro natura, sed magis materialiter pro supposito, ut supra dictum est<sup>1</sup>. Secundo, quia, etiamsi esset vera, non tamen esset ea utendum absque determinatione, ad evitandam hæresim Arii; quia sicut personæ Filii Dei attribuit quod esset creatura, et quod esset minor Patre, ita attribuit ei quod esse incepit, dicens quod erat, quando non erat.*

*Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas ista est intelligenda cum determinatione; ut, scilicet, dicamus quod homo Jesus Christus non fuit antequam mundus esset, secundum humanitatem.*

*Ad secundum dicendum, quod cum hoc verbo, incipit, non sequitur argumentum ab inferiori ad superius; non enim sequitur: Hoc incipit esse album; ergo incipit esse coloratum. Et hoc ideo quia incipere, importat nunc esse, et non prius; non autem sequitur: Hoc non erat prius album; ergo non erat prius coloratum. Esse autem simpliciter, est superius ad esse hominem: unde non sequitur: Christus incepit esse homo; ergo incepit esse.*

*Ad tertium ergo dicendum, quod hoc nomen, homo, secundum quod accipitur pro Christo, licet significet humanam naturam, quæ incepit esse, tamen supponit suppositum æternum, quod esse non incepit. Et ideo, quia secundum quod ponitur in subjecto, tenetur pro supposito, secundum autem quod ponitur in prædicato, refertur ad naturam, ideo hæc est falsa: Homo Christus esse incepit; sed hæc est vera: Christus incepit esse homo.*

## COMMENTARIUS.

1. Divus Thomas aliter huic quæstioni respondet quam præcedenti, hanc enim locutionem: *Christus incepit esse*, dicit esse falsam in proprietate et rigore sermonis. Et ratio ejus est, quia significat personam Christi simpliciter incepisse, quod illius æternitati repugnat. Antecedens probat, quia subjecta tenentur materialiter pro suppositis, unde cum dicitur: *Christus incepit esse*, inceptio tribuitur ipsi supposito. Quæ ratio, atque adeo tota hæc doctrina, magnam patitur difficulta-

<sup>1</sup> Art. 7 hujus q., ad 3.

tem, præsertim suppositis quæ articulo præcedenti dicta sunt.

2. Primo quidem, quia subjecta interdum etiam stant formaliter, si determinantur a prædicatis, ut ibi dictum est; ergo hæc subjectum, *Christus*, potest determinari ab illo prædicato, *incepit*, ut stet formaliter pro toto composito, quod est Christus; sed illud compositum vere dicitur incepisse; ergo. Confirmatur ad hominem, nam in hac propositione: *Deus est homo*, dicunt Thomistæ, subjectum determinari a prædicato, ut stet pro supposito, quatenus substat humanitati, ut illa propositio sit per se; cum tamen illa suppositio multo magis sit aliena a significatione illius termini, *Deus*, qui nullo modo humanitatem significat. Unde illa sententia probabilior est, si propositio fiat sub nomine Christi, scilicet: *Christus est homo*; illa enim est per se, et formalis prædicatio, quia prædicatum determinat subjectum; ergo idem dici poterit de hac: *Christus incepit esse*. Confirmatur secundo, ex communi modo concipiendi; cum enim dicimus, *Hoc album incepit hodie*, non significamus ipsum subjectum incepisse simpliciter, sed incepisse esse album.

3. Propter hæc et similia argumenta, Scotus, in 3, dist. 11, q. 3, dicit illam propositionem in rigore sermonis esse veram. A qua sententia parum discrepat Bonaventura, art. 2, q. 2, quamvis variis distinctionibus utatur. Et Durand., dist. 12, q. 1, qui dicit illam esse æquivocam et distinguendam. Hi tamen omnes simpliciter negant hanc: *Verbum incepit esse*, quia hæc repugnat æternitati Verbi; nec sequitur per communicationem idiomatum ex illa: *Christus incepit esse*, quia mutatur formalis suppositio in materialem, atque adeo variatur appellatio, nam in una tribuitur inceptio Christo ut sic, in alia autem Verbo. Nec modus loquendi Sanctorum videtur ab hac sententia alienus. Augustinus enim, tract. 105 in Joan., ait: *Antequam mundus fieret, nec nos eramus, nec ipse mediator Christus*; si ergo non erat, incepit esse. Deinde Nazianz., orat. 35, n. 72, dicit Christum esse factum, quod perinde est. Denique Leo Papa, in dicto ser. 3 Pentecost., c. 2, dicit Christum esse *temporalem*, quod est dicere incepisse.

4. Nihilominus sententia D. Thomæ est communior Doctorum, cum Magistro, in 3, dist. 11 et 12; ubi Palud., Hervæus, Capreolus, et alii; Marsil., q. 9, in fine; Cajetanus late hic, qui refert varia argumenta Scoti et Durandi, et illa solvit. Ratio vero D. Thomæ,

quæ est fundamentum hujus sententiæ, ita explicanda est. Nam, licet illa propositio: *Christus incepit esse*, affirmativa videatur, tamen includit hanc negativam: *Christus aliquando non fuit*; hæc vero est falsa, quia ejus contradictoria est de fide, quia Christus semper fuit, est enim æternus, juxta illud Joan. 8: *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Et ad Heb. 13: *Jesus Christus heri, et hodie, ipse et in secula*; non possunt autem de Christo verificari contradictoria, etiam per communicationem idiomatum, quia negatio simpliciter omnia negat, ut nos etiam supra dicebamus.

5. Unde, licet Christus possit vocari spiritalis et materialis, non potest negari, quod sit spiritualis vel omnipotens; unde sicut hæc simpliciter est falsa: *Christus non est omnipotens*, ita et hæc: *Christus non est æternus*; ergo et illa, Christus incepit esse, quæ hanc includit. Confirmatur primo, quia hæc simpliciter est falsa: Christus habuit ex matre suum esse simpliciter; sed hoc significatur per illam propositionem, nam esse absolute dictum seu secundum adjacens, ut dialectici dicunt, significat esse simpliciter illius rei cui tribuitur. Unde confirmatur secundo, nam in illa propositione simpliciter prolata, *Christus incepit esse*, inceptio attribuitur esse divino, quod est esse simpliciter Christi; secus vero erit si addatur determinatio, *in quantum homo*, quia jam tunc ratione illius inceptio attribuitur esse humano.

6. Inter has sententias, quod ad rem attinet, nulla esse potest differentia, quam Fulgentius, lib. de Incarnat., c. 10, optime his verbis complexus est: *Verbum incepit esse Christus, Verbum tamen mansit æternum, et caro in ipso sumpsit initium*. Quod ad modum vero loquendi attinet, quanquam prior sententia sit probabilis, quia ille usus vocum, et sensus illius locutionis non est omnino alienus a significatione terminorum, neque a communi modo loquendi hominum, nihilominus tamen simpliciter et in rigore sententia D. Thomæ verior est et securior, quia non dicitur aliquis simpliciter et absolute incipere esse, nisi denuo acquirat præcipuum ac principale esse suum; Christus autem non acquisivit denuo illud esse, quod in ipso est primum, atque adeo esse simpliciter, et ideo huic prædicato non potest convenire, ut determinet subjectum illo modo quo prima sententia asserebat, quia prædicatum significans inceptionem, cadit super esse absolute dictum, atque adeo super esse simpliciter;

non ergo potest determinare subjectum in ordine ad esse secundum quid, respectu suppositi pro quo supponit. Tum etiam quia prædicatum negativum non determinat subjectum, sed simpliciter negat; propter quod hæc est falsa: Christus non est omnipotens, quia revera non significat non esse omnipotentem secundum humanam naturam, sed simpliciter et absolute; propter quod etiam hæc est falsa: Christus non fuit ab æterno. Illa vero propositio: *Incepit esse*, includit hanc negationem, et per illam exponitur, ut dictum est, et constat ex dialectica. Et per hoc satisfactum est argumentis primæ sententiæ.

7. Unde a fortiori constat hanc esse falsam: Christus incepit esse Deus, tum quia includit illam negativam: *Aliquando non fuit Deus*; tum quia quod incipit esse tale, supponitur actioni, per quam incipit esse tale; quod hic dici non potest, ut art. 7 tractatum est. De hac vero propositione: Christus est factus, idem indicat D. Thomas quod de hac: Christus incipit esse, quia fieri, simpliciter dictum, refertur ad esse simpliciter illius subjecti cui tribuitur, unde includit eandem negationem, quam verbum *incipit*. Non est autem idem de his prædicatis, *natus ex virgine*, seu *mortuus*, quia hæc ex vi suæ negationis solum referuntur ad esse humanum, secundum quod natus est Christus vel mortuus.

## ARTICULUS X.

*Utrum hæc sit vera: Christus, secundum quod homo, est creatura<sup>1</sup>.*

1. *Ad decimum sic proceditur. Videtur, quod hæc sit falsa: Christus, secundum quod homo, est creatura, vel, incepit esse. Nihil enim in Christo est creatum nisi humana natura. Sed hæc est falsa: Christus, secundum quod homo, est humana natura. Ergo hæc etiam est falsa: Christus, secundum quod homo, est creatura.*

2. *Præterea, prædicatum magis prædicatur de termino in reduplicatione posito, quam de ipso subjecto propositionis; sicut si dicam: Corpus, secundum quod coloratum, est visibile, sequitur quod coloratum sit visibile. Sed hæc non est absolute (sicut dictum est<sup>2</sup>) concedenda: Homo Christus est creatura. Ergo neque*

<sup>1</sup> 3, d. 4, q. 1, art. 2, q. 1, corp., et q. 2, ad 3, et d. 10, q. 1, art. 1, q. 2, et d. 11, art. 3.

<sup>2</sup> Art. præc.

*hæc: Christus, secundum quod homo, est creatura*

3. Præterea, quicquid prædicatur de quocumque homine, secundum quod homo, prædicatur de eo per se et simpliciter; idem enim est per se, et secundum quod ipsum, ut dicitur 5 Metap.<sup>1</sup>. Sed hæc est falsa: Christus est per se, et simpliciter creatura. Ergo etiam hæc est falsa: Christus, secundum quod homo, est creatura.

Sed contra, omne quod est, vel est creator, vel creatura. Sed hæc est falsa: Christus, secundum quod homo, est creator. Ergo hæc est vera: Christus, secundum quod homo, est creatura.

Respondeo dicendum, quod cum dicitur: Christus secundum quod homo, hoc nomen, homo, potest resumi in reduplicatione, vel ratione suppositi, vel ratione naturæ. Si quidem resumatur ratione suppositi, cum suppositum humanæ naturæ in Christo sit æternum et creatum, hæc erit falsa: Christus, secundum quod homo, est creatura. Si vero resumatur ratione humanæ naturæ, sic est vera, quia ratione humanæ naturæ, sive secundum humanam naturam, convenit sibi esse creaturam, ut supra dictum est<sup>2</sup>. Sciendum tamen quod nomen sic resumptum in reduplicatione magis proprie tenetur pro natura, quam pro supposito; resumitur enim in vi prædicati, quod tenetur formaliter. Idem enim est dictum, Christus secundum quod homo, ac si diceretur, Christus secundum quod est homo. Et ideo hæc magis est concedenda quam neganda: Christus, secundum quod homo, est creatura. Si tamen adderetur aliquid per quod traheretur ad suppositum, esset propositio magis neganda quam concedenda; puta, si diceretur: Christus, secundum quod hic homo, est creatura.

Ad primum ergo dicendum, quod, licet Christus non sit humana natura, est tamen habens humanam naturam. Nomen autem creaturæ natum est prædicari non solum de abstractis, sed etiam de concretis; dicimus enim quod humanitas est creatura, et quod homo est creatura.

Ad secundum dicendum, quod *ly* homo, secundum quod ponitur in subjecto, magis respicit suppositum; secundum autem quod ponitur in reduplicatione, magis respicit naturam, ut dictum est<sup>3</sup>. Et quia natura est creata, suppo-

<sup>1</sup> Tex. 28, tom. 3.

<sup>2</sup> Art. 8 hujus quæst.

<sup>3</sup> In corp. articuli.

situm vero increatum, ideo licet non concedatur ista simpliciter: Homo Christus est creatura, conceditur tamen ista: Christus, secundum quod homo, est creatura.

Ad tertium dicendum, quod cuilibet homini, qui est suppositum solius naturæ humanæ, competit quod non habeat esse, nisi secundum humanam naturam; et ideo de quolibet tali supposito sequitur, si, secundum quod homo, est creatura, quod sit creatura simpliciter. Sed Christus non solum est suppositum humanæ naturæ, sed etiam divinæ, secundum quam habet esse increatum; et ideo non sequitur, si, secundum quod homo, est creatura, quod sit simpliciter creatura.

#### COMMENTARIUS.

1. Objectio.—Scotus.—Responsio.—Quamvis D. Thomas distinctionem præmittat, tamen absolute docet, illam propositionem debere concedi, quia per illam determinationem positam a parte subjecti, si proprie usurpetur, determinatur subjectum, ut non accipiatur pro supposito absolute et secundum se, sed prout substat humanitati; constat autem ex dictis Christum hoc modo vere posse dici creaturam. Et ex hoc facile solvitur objectio quam hic refert Cajetanus ex Scoto, in 2, dist. 11, q. 2, qui primum dicit non magis hanc propositionem esse veram: Christus, in quantum homo, est creatura, quam illam: Christus est creatura, quia cum illud, in quantum, non sit conditio diminuens, illa propositio reduplicata includit propositionem de inesse, seu præjacentem; unde Gabriel, 3, dist. 11, q. 1, art. 3, putat, quidquid de Christo absolute negatur vel conceditur, etiam cum illa determinatione negandum esse, vel concedendum, quod etiam Major, Almain, et alii ibi insinuant. Sed hæc regula absolute sumpta nobis non placet, quia ex vi formæ locutionis non semper est eadem ratio utriusque propositionis, ut ex dictis facile patet, quia, quando subjectum est sine determinatione, solet supponere pro supposito, quasi materialiter; per determinationem autem fit ut stet formaliter; illa enim determinatio in hac propositione, non sumitur reduplicative, sed specificative; et ideo non oportet ut possit simpliciter resolvi in suam de inesse, quia poterit facile mutari suppositio et acceptio terminorum. Et hoc modo dici potest illa particula *in quantum*, aliquo modo, non quidem diminuens significationem aut proprietatem

terminorum; sed quasi limitans et determinans suppositionem subjecti. Et hac etiam ratione, ut D. Thomas hic indicavit, et Cajetanus explicuit, quamvis hæc non sit vera simpliciter: Christus incepit esse, cum prædicta vero limitatione, *in quantum homo*, est vera, quia Christus in quantum homo non est æternus, sicut neque in quantum homo est Deus; ergo, in quantum homo, est creatura, et incepit esse.

2. Objectio secunda.—Responsio.—Secundo vero addit Scotus, etiamsi hujusmodi modus loquendi verus sit, tamen esse improprium, quia hujusmodi determinatio specificans deberet potius poni in prædicato quam in subjecto, ut si dicamus Christum incepisse secundum esse humanum. Et confirmatur hoc, quia alias in rigore est falsa hæc propositio: Christus, in quantum homo, incepit esse, quia illud prædicatum significat esse simpliciter ipsius Christi, ut supra dictum est; Christus autem non incepit in suo esse simpliciter, etiam in quantum homo. Respondetur tamen, proprietatem sermonis ex communi usu esse accipiendam; at vero juxta communem et proprium modum loquendi, non solum in prædicato, sed etiam in subjecto, poni solet determinatio; et merito, quia per illam indicatur propria ratio secundum quam convenit subjecto tale prædicatum. Unde fit ut consequenter etiam prædicatum accomodetur tali subjecto; ut cum dicitur: Christus in quantum homo incepit esse, hoc ipso quod limitatur subjectum, ut stet pro supposito humano ut sic, limitatur etiam prædicatum, ut solum tribuat illi subjecto ut sic inceptionem essendi, scilicet, in esse humano. Et ita solvitur confirmatio, nam, licet esse, absolute dictum, et applicatum subjecto, simpliciter etiam sumpto, et sine addito, significet esse simpliciter illius suppositi, tamen, quando applicatur subjecto sub determinatione aliqua, tantum significat esse quod supposito sub tali determinatione convenit. Et ita facile concordat hæc doctrina cum iis quæ dicta sunt disputatione præcedenti, sectione quarta, regula quarta; nam hoc prædicatum significans inceptionem, absolute dictum de supposito, requirit suppositum creatum; non vero si dicatur de subjecto cum prædicta determinatione. Unde etiam intelligitur, cum Christus, in quantum homo, dicitur creatura, ibi, creaturam, non significare aliquod omnino ex nihilo productum, sed aliquid effectum et productum per actionem aliquam, quia

Christus, in quantum homo, non est ex nihilo productus, quia illud, *in quantum*, non designat solam humanitatem, sed totum compositum ut sic, quod non est factum ex nihilo, ut constat. Unde ad hoc magis explicandum observare oportet, non omnino esse idem dicere, *secundum humanitatem*, et, *in quantum homo*, nam prior particula videtur solam designare humanitatem, quæ omnino est creatura producibilis ex nihilo; posterior vero particula, *in quantum homo*, totum compositum designat, ut dictum est.

3. Et ex his tandem facile intelligitur quod ultimo loco addidit D. Thomas, si addatur ex parte subjecti articulus demonstrativus, ut dicendo: Christus, in quantum hic homo, est creatura, propositionem esse magis ambiguum; erit enim falsa, demonstretur ipsum suppositum. Tamen in rigore et ex proprietate sermonis, etiam potest admitti sensum verum; quia hic homo et formaliter non designat suppositum, sed subsistentem in hac humanitate, ut sic, et licet designet illud, non tamen absolute et secundum se, sed ut cum hac humanitate componit hunc hominem, qui sub hac ratione dici potest creatura, ut explicatum est.

#### ARTICULUS XI.

*Utrum hæc sit vera: Christus, secundum quod homo, est Deus<sup>1</sup>.*

1. Ad undecimum sic proceditur. Videtur quod Christus, secundum quod homo, sit Deus. Christus enim est Deus per gratiam unionis. Sed Christus, secundum quod homo, habet gratiam unionis. Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

2. Præterea, dimittere peccata, est proprium Dei, secundum illud Isaia 43: Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me. Sed Christus, secundum quod homo, dimittit peccata, secundum illud Matth. 16: Ut autem sciat quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, etc. Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

3. Præterea, Christus non est homo communis, sed est homo iste particularis. Sed Christus, secundum quod est iste homo, est Deus, quia in isto homine designatur suppositum æternum, quod naturaliter est Deus. Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

3, d. 10, q. 1, art. 1, q. 1, et q. 3, corp.